



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt XV. Hispaniæ Principis, & Bohemiæ Regis transitus Tridento. Plures Regnum Oratores, & tres Septemuiri Ecclesiastici adueniunt. Et duodecima Sessio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

1551. ter infinitæ procrastinationis incommoda macerarentur. Sed è contrario Fonseca, aliique cum eo sententiam mutauere: & hæc in confesso vicit. Quare postridie celebrata est vndecima Concilij Sessio.¹ Solemne sacrificium fecit Legatus, qui Sacerdotio initiatus, tunc primùm Sacris operatus est: Latinam concionem habuit Sigismundus Fedrius Franciscanus cognominatus à Directa. Massarellus duo Pontificis Diplomata recitauit; alterum de resumendo Tridenti Concilio, alterum de Præsidium electione: tum Archiepiscopus Turritanus è suggestu inchoationis Decreta proposuit, quæ concorditer accepta. Per eos dies ac deinceps accesserunt ad Synodum * Episcopi primarij satis frequentes. Hic verò conuentus non habebantur ad expendenda rerum argumenta, tum quia plurimum laboris operi impensum fuerat Tridenti prius, postea Bononiæ, tum quò palàm fieret, Germanos non ad solemnia tantùm, sed ad rem ipsam etiam expectari; cum plerisque videatur, in summis conuentibus maius opus confici in consiliis quàm in Decretis faciendis.

i Litteræ Legati ad Dandinum, 1. Maij 1551. inter Ceturorum monumenta.

* Ex Diario.

CAPUT XV.

Hispania Principis, & Bohemia Regis transitus Tridento. Plures Regum Oratores, & tres Septemviri Ecclesiastici adueniunt. Et duodecima Sessio.

NE rerum series interrumpatur, libet vnà proseguere, quæ ibi euenerit vsque ad duodecimam Sessionem, quæ nouum Synodi exordium censeri potest.

Pridie Nonas Iunij eò peruenit Philippus Hispaniarum Princeps, è Germania redux, quem Romanorum Regem renuntiandum, Ferdinando successurum, proposuerat Carolus; Ferdinando autem, si assentiretur, Imperij consortium offerebat, quemadmodum duo simul Cæsares olim imperauerant. Sed Ferdinandus causatus est, non posse quidquam à se statui, absente Maximiliano filio, iam Bohemæ Rege constituto, & Caroli genero, cuius loco tunc Hispanias moderabatur. Idcirco Maximilianus, relicta ibi coniuge, prope Germaniam repetiit, obfirmato ad obfistendum animo; satis gnarus, Germanos magis ad se propensos fore, quippe nationis eiusdem Principem, minus formidabilem, atque apud ipsos commoraturum. Eo igitur refrigerante consilio, Philippus in Hispaniam reuersurus iter habuit Tridento*. Nec ab re facturum me putauerim, si breuiter exposuero, qui ritus in honoribus illi habendis seruati sunt, cum id & illustrium scriptorum recentium exemplum mihi persua-

* In Diario à 6. ad 9. Iunij.

persuadeat, & communis nostri temporis mortalium vsus, qui tanti facienti speciosa huiusmodi officia, vt interdum eorum causâ summa negotiorum molimina perturbentur, præcidanturque commercia inter eos, quos arctissimis vinculis natura connexuit. Quare si perinde notitiarum ac monetarum pretium ab hominum æstimatione dependet, ea certè negligenda non sunt tamquam tenuia vt legantur, quæ maxima habentur vt fiant.

2 Legatus ac Patres Concilij ad sagittæ iactum ex vrbs porta obuiam Philippo processere; Præsides cum ex equis amplexati sunt, reliqui Præsules desilientes eius dexteram osculati: hinc breuia urbanitatis verba inuicem dicta. Tum Philippus multum institit in iis officiosè petendis, quorum repulsam volebat, hoc est, vt potio-rem locum Legatus teneret. Equitauit medius inter duos Purpuratos, antecedentibus Proceribus, & Episcopis subsequenter. Ad arcem vsque deductus est, vbi à Madruccio exceptus hospitio, Patres dimisit equis insidentes.

3 Postridie Legatum inuisit, qui obuiam illi occurrit extra suarum ædium limen. Paulùm ibi commoratus, inde vnà cum eodem Legato ac Madruccio ad insulam in Athesi perrexit, tercentos ferè passus ab vrbe remotam; vbi Madruccius ligneâ domo constructâ, eademque aulæ aureis, picturis ac statuis insigniter exornatâ, conuiuium opiparum exquisitis harmoniæ modis conditum parauerat. Philippus, duo Purpurati, & Sabaudi Principis filius, qui Hispanum comitabatur, pari gradu mensæ adsedere; reliqui Proceres, nobilesque complures in inferiori subsellio. Post epulum, Germanorum more choreæ ductæ, inter quas Philippus ipse saltauit: dein ludicra certamina commissa, quibus plura (in Ludouici Ariosti recentiore tunc poemate descripta) heroum facinora exhibebantur. Die postero Legatus inuisit Philippum, qui perhonorificè illum excepit, testatus, Cæsarem parentem suum ne vitæ quidem parsurum, vt Pontifici deseruaret. Die 9. tandem discessit, cunctis illum præter Præsides comitantibus.

4 Paucos post dies eò Maximilianus ^b Bohemiæ Rex accessit, qui ^{b 22. Iunij} repetebat Hispaniam, vxorem inde deducturus. Hic festinantis, adeoque priuati more iter habebat; quamobrem illi obuiam haud processum: Legatus ipsum inuisit, & ipse pariter Legatum. Elapso triduo, inde profectus est vnà cum Tridentino, qui Mantuam vsque comes illi adfuit, cum & familiâ & Episcopatu in ditione Ferdinandi illius parentis esset.

5 Dum hi Principes Tridento transibant, Moguntini Septemviri Nun-

Nun-

1551.
e 10. Ianuar.
anni 1551.

d Diarium,
18. & 20. Au-
gusti an-
no 1551.

e 13. Iulij.

f 2. Septem-
bris.
g Diarium,
August. &
Septembr.

Nuntius^e eò peruenit, qui illius absentiam excusaret, utpote neces-
sariam ob necessariam eiusdem in sua Dicecesi presentiam post diu-
turnam in Comitibus moram; addiditque, Procuratorem ab eo de-
legatum iri, itidem ac à reliquis Septemuiris Ecclesiasticis delega-
rentur. Verùm à Legato reiecta excusatio est, respondente, eos ob-
stringi per se adesse, quando Synodus in eo loco ceteris incommodo
coacta fuerat in gratiam commodumque Germanicæ nationis. Nec
ea repulsa incassum recidit, cum postea & idem^d Septemuir, & Tre-
uirenſis interuenerint: Colonienſis ut se proximè accessurum osten-
deret, domicilium illic sibi ornandum curauit. Confluxere quo-
que plures Aristites e Cæsaris ditionibus, eiusque noui Oratores,
^e qui fuerunt Hugo Comes à Monteforti, Imperij nomine, & pau-
lò post duodecimam Sessionem Guillelmus à Pictauia, Belgicarum
Prouinciarum Legatus^f, pluresque etiam Oratores à Ferdinando
missi aduenere^g.

Pridie Kalendas Septembris cœtus generalis habitus est; ubi cum
adesſent duo Septemuiri Archiepiscopi, rogati sunt ut in Aulam
proximam concederent, donec de ipsorum loco deliberaretur: qui-
bus digressis, proposuit Legatus, ut supra reliquos Præsules collo-
carentur; cui assensere Archiepiscopi Septemuiris antiquiores,
dummodò præmitteretur denuntiatio, nihil inde iuris sibi ac suc-
cessoribus detrahi. Quapropter duo Archiepiscopi missi sunt, Se-
ptemuiros ad conuentum deducturi: hi verò de habito decreto
edocti, gratis actis rediere, & pro eo quòd statutum fuerat, supra ce-
teros Præsules qui non præsidebant collocati sunt, aliquantulum
ab illis seiuncti, & in subselliis honestioribus quàm communia, è re-
gione Cæsarianorum Oratorum. Ibi statutum est, ut postridie in-
dicta Sessio celebraretur; in qua altera pariter Sessio die undecimâ
Octobris ad Decreta pronuntianda indiceretur. Postero igitur die
solemniter celebravit Balthasar Eredia Archiepiscopus Turritanus:
concione tunc omisâ, Massarellus Præsidium nomine breuem
parænesim de viuendi ratione recitauit. Producta comprobataque
sunt Oratorum Caroli ac Ferdinandi legationis mandata; sanc-
tumque est, ut in proxima Sessione ageretur de articulis Eucharis-
ticiæ, ac de obstaculis, quæ supererant, ne Episcopi suas apud Sedes
residerent.

Adfuit deinde Iacobus Amiotus, à Rege Gallicæ missus cum epi-
stola, cuius inscriptio erat: *Sanctissimis in Christo, & obseruandis sum-
moperè in Christo Tridentini conuentus Patribus.* De ea excipienda plu-
rimùm est disceptatum: sed eius tenor & opportunitas, quòd res me-
lius

lius lectoribus innotescat, me commonent, vt ab initio reperam
quæ inter Pontificem & Henricum contigere; cum in narratio-
ne, iuxta ac in navigatione, opportunius iter non semper sit quod
rectius est, & expediat quandoque à portu quò tendimus recedere,
quò via certior ad ipsum teneatur.

1551

CAPVT XVI.

Duplex Galli contestatio in Senatu, varia negotiorum belli-
que euenta ob Parmæ controuersias.

ANtequam Ascanius Corneus ad Galliæ Regis Aulam perue-
niret, statutum iam tandem fuerat à Rege coniugium inter
Dianam filiam, & Horatium Farnesium, ad eam vsque
diem suspensum. Remissus etiam fuerat à Rege Horatius Parmam
ad confirmandas ibi cum fratribus pactiones. Ascanio, sicuti dixi-
mus, spes generatim facta est, adiectumque, mentem Regis per
Monlucium Pontifici plenius patefactum iri. Interim Gonzaga
conspicatus, negotium studiosè protrahi, vt per eam moræ opportu-
nitatem Parmenses com meatum sibi colligerent, Brixellium occupa-
uit, Ferrariensis Principis oppidum, cuius vtile dominium tunc
erat penes Cardinalem Principis fratrem, & Gallicarum partium
in primis studiosum, quâ commodus dabatur aditus ad necessaria
quæque Parmam conuehenda. Hinc Monlucius excusationem
apud Iulium præten dit, quasi Rex eâ rei nouitate irritatus priorem
concordiæ voluntatem abiiecisset. Nec vllum etiam tum erga Octa-
uium adhibere diligentiam omisit Pontifex: cumque is promissum
quo se Regi prius obstrinxerat obtenderet, Iulius eum vetuit, addi-
to per Diploma quod memorauimus præcepto, dein commonito-
rio libello: ostenditque, posse his vti tamquam honestissimâ resi-
liendi causâ. Simul etiam & persuadere studuit, quando Gonzaga
vitra verborum minas nondum progrediebatur, opportunum non
esse, vt se in terrorem sumptusque coniceret. Spondit insuper, si
quid aduersus eum pararetur, se illi Parmæque, non solum ope, sed
præsentia, si opus esset, ad futurum.

Nihil tamen per eas adhortationes effectum est. Etenim quem-
admodum satis animaduertit Iulius, ac Cæsari significauit, nec
Octavius, Gonzagæ minis vehementer agitato, se vniquam tutum
putasset, nisi valido protectus thorace; neque Rex post auxilia
Octauiio promissa destitisset vniquam ab incepto, ne suæ fidei per-
petuò exstimationem adimeret apud Italicos Principes; eum in
homi-

Part II.

H h

homi-

Cuncta extant in mandatis Pontificio Questori datis, ad Cæsarem missis, & Camaiano ad Florentiæ Ducem, & Monlucio in reditu in Galliam, & Achilli Grafio, Nuntio Veneto, 27. Augusti 1551. apud Burghesios; præter literas Dandini intra citandos. b. 1. Maij, ex Adriano lib. 8. & fuffius in literis Dandini.

Historiæ
Concilij Tri-
dentini
Lib. II.
Cap. XVI.